

**Dissertatio inauguralis medica disquirens num mania sit apyretos ... /
submittit Christianus Eberhardus Andreae.**

Contributors

Andreae, Christian Eberhard.
Camerarius, Alexander, 1696-1736.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Josephi Sigmundi, [1734]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qvc2sbhm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3077908x>

*anno regni 10
Thom. Camerarius M.D.*

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DISQUIRENS NUM

M A N I A
SIT
A PY RETOS.

H A N C
ADSISTENTE DIVINA GRATIA,
CONSENTIENTE FACULTATE GRATIOSA,

P R A E S I D E
D. ALEXANDRO CAMERARIO,
THEOR. AC PRAX. PROF. PUBL. ORD.
FACULT. MED. h. t. DECANO,

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN MEDICINA HONORES *ATQUE PRIVILEGIA*
DOCTORALIA LEGITIME CAPESENDI,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

CHRISTIANUS EBERHARDUS ANDREÆ,
STUTGARDIANUS.

AD D. JULII. ANN. MDCCXXXIV. HOR. LOC.Q. CONSUET.

T U B I N G E,
Typis JOSEPHI SIGMUNDI.

ADIDIA
CONVENTUS

ALIADAM

30

CONVENTUS ALIADAM
CONVENTUS ALIADAM
CONVENTUS ALIADAM

CONVENTUS ALIADAM
CONVENTUS ALIADAM
CONVENTUS ALIADAM

CONVENTUS ALIADAM
CONVENTUS ALIADAM

CONVENTUS ALIADAM

CONVENTUS ALIADAM



Σ. Θ.

an

Ostquam ab Academiis in Patriam
reversus sum , Praxin clinicam, non
sine benedictione divina quidem, sta-
tim exercere coepi , nihilo secius ta-
men illico deprehendi, quam necessa-
rium non minus ac proficuum , simul vero etiam
jucundum sit, a libris ad ægrotorum lectum, sed
& ab hoc ad libros iterum ordine reciproco se con-
ferre, atque adeo , quod in collatione insignium
Doctoralium liber apertus significat, sub ipso pra-
xeos exercitio usque magis discere , atque eruditio-
nem suam semper adhuc plus ultra provehere.
Luculentum hujus rei testimonium præbuit mihi
biga casuum , a Dn. Præside, ut resloverem istos,
benevole communicatorum, sub quorum & ad eos
pertinentium librorum evolutione, contra commu-
niter receptam sententiam, de *præsentia Febris in Ma-*
nia concepi quædam dubia , quæ animo pensitata
eo penes me tandem invaluerunt, ut publico ex-
poni posse censuerim, pro Disputatione Inaugurali,

A 2

quam

quam habere Statuta Facultatis jubent. Cum itaque maniam apyretum in disputationem vocem, conscientius, universalia non nisi ex sufficiente singularium collectione formari, ne præpostere quid ponam nimis generale, præmonendum & me præmu niendum duxi, mansurum me potius intra terminos casuum meorum, aut illis adplicaturum, quæ de mania in genere solent dici. Sic enim cuicunque liberum manet, suas posthac observationes ad examen simile revocare, ut vel tandem de thesi generali, vel casibus exceptis, constet melius & plenius. Speciales autem illæ historiæ, cum quibus generale illud assertum, *Maniam esse delirium sine febre furosum*, conferre libuit, sunt sequentes:

Juvenis integræ hactenus sanitatis & strenuus ad labores lanio, qui nuper & vapularat & genio indulserat, sub finem autumni turbatus & rixosus ab itinere domum redit, & intempestive ex somno excitatus sedari nequit, sed in iracunda omnium actionum vehementia potius incre scit adeo, ut abhinc maniacorum censui adscribi omnino meruerit. Phænomena autem, quæ ad nostrum scopum faciunt, tum suppeditavit sequentia:

Præcipuum consistit in motu morbi, quandoquidem delirium nunquam plene intermisit, & habuit vicissitudines dierum alternantium, quibus notatum fuit toties, post meridiem aut circa vesperam exacerbari vim morbi, pergere sub inquietudine continua per noctem in alterum usque mane, abhinc iterum ordinarie infringi & admodum mitescere, ut aeger interdum ad statum prope naturalem videretur accedere.

Hunc motum per alternos dies affectus servavit satis diu & accurate, usque dum post diem quadragesimum sen-

sim

sim evanuerint paroxysmi, redeunte simul ægro ad mentem saniorem & quietiorem. Interim ergo, idea delira nunquam plene deleta, qui tamen uno die placidus & sic satis tractabilis erat, idem altero siebat toto quasi corpore longior & erectior, artibus tensor, rigidior & fortior, calidior, vultu magis rubebat, dormire noctu non poterat, nec in lecto contineri, incedebat minax, ferox, inquietus, vehe mens, rixosus, garriendo, ridendo, canendo, orando, jurando, bibendo, vorando occupatissimus, modo se proripere studebat, gladiis & cultris insidiabatur, vitra morsu diffringebat, parentes in primis infestabat, &c. objectum delirii habens venena, sagas, spiritus. De cætero sensibus omnibus integer, nec præter phantasma suum absurdus, sed omnium rite conscientius.

His respondit pulsus semper quidem citior, tum vero magnitudine & frequentia insignis: Porro urina, nunquam quidem tincta, & semper absque sedimento; in turbis tamen tenuitate sua limpida accedens ad aquam potius, quam die quieto, quo plus minus citrina & tinctior saepe comparuit: Denique sanguis, subinde missus, observabatur in superficie mundus & pulcher, etiam post multas venæ sectiones, cum grumus tandem parvulus nataret in sero plurimo.

Fœmina, aliquot liberorum mater, cui Pater olim raptu brevi phantastico turbatus, quæ & olim puerpera subito delirii impetu confusa, sed cito liberata fuerat, per gravitatem & in partu communiter sursum picrocholos, autumno circa diem decimum quartum a partu puella, lochiis rite purgari visa, absque nota causa, nec præviis horroribus aut aliis febrium phænomenis, sed post longas vigilias, tristitiam melancholicam, & frequentes illachrymationes, subito in turbas maniacas erumpens, hinc diu fuit inquieta, garrula,

iracunda, vehemens, refractaria, etiam malitiosa, torvi aspectus, alvi fæcum incuria, infantis sui negligens, magni roboris, excusso pudore se proripiens, & in adstantes irrum-pens, ut magna vi ab iis ægre coerceretur, pro sana haberi volens, absque querelis, cum incertis errorum phantasiae objectis, salvis de cætero sensibus, omnia tamen in absurdum suum delirium detorquens, primis diebus adhuc acute quæ-dam subinde exprobrando immiscens. Cætera, quæ huc spectare videntur, phænomena sunt sequentia:

Primo adfuerunt & hic notarique potuerunt exacerbationes & remissiones quædam periodicæ, afferendo hoc de diebus prioribus, postmodum enim illæ fuerunt confusæ, & quasi obliteratae. Primus paroxysmus inceperat post noctem insomnem, & diem lachrymosum circa vesperam, cum subita & magna turbatione, & vehementia delirii ex iracundia & anxietate suspicaci mixti, duravit per diem alterum sensim remissior, declinavit per noctem quietam, ut a somno sequeretur melior, cum mente tantum non sana, nisi quod adhuc loquacitas nimia maneret suspecta, ad usque vesperam; Sed cum hac, post novam indignabundam & suspicio-nibus plenam turbationem, noctu plenus iterum furor erupit, & modo longior non remisit prius, quam die quinto, qui, ut & sextus, placidiores. Novum insultum tulit nox se-quens, quartumque rursus nox post diem octavum, quem deliquii nomine adstantes expresserant, quia frigidis & acutiis naribus, non concussa tamen, ægra propendebat antrorum. Obscuræ hinc & confusæ exacerbationes non satis disincte observabantur, nec intervalla lucidiuscula ad certum ordinem aut tempus redigi poterant, eo magis, quia interim major usque increscerebat stultitia, & ferocia fere deposita tandem delirium per hyemem degenerabat in stuporem.

Secundo,

Secundo, urina per primum quatriduum semper tincta, saturata rubedinis, & quæ circa undecimum haberi potuit, multa priori similis, tardè, nec nisi altero die tantillum pallide rubens demisit sedimentum. Post mensem adhuc non minus tincta, utut diu staret, nec turbabatur, nec quidquam demittebat. Per mensem alterum tincturæ nondum expers, modo rubra, modo flave rubra, tandem communiter habuit sedimentum largum, crassum. Denique circa medium mensis tertii cœpit primum flavescere, citrina cum nube vergere ad colorem naturalem, sub tendentia quoque naturæ a statu stupido prius dicto ad mentem sanam, sed id ipsum rursus cum profusione lachrymarum quotidie larga.

Tertio, sanguis sub primum paroxysmum a brachio dextro missus, altero die comparuit in forma caseoli, alba crusta tecti, utut nataret in sero multo. Die octavo missus e sinistro, qui diu radiatus saliit, in vasculis duobus amplis exceptus, non aliam tamen exhibuit superficiem, spumosus de super, crusta pallide flavescente spissa tenaci tectus, ægre bacillo dividendus, innatans iterum sero multo flavo. Qui diu post e secta frontis vena saliit sanguis, tenui filo, mundus plane cum suo non pauco sero comparuit.

Quarto, ante delirium doluerant, cum tumore, absque rubore, mammæ, in primis dextra, utut nullos tum horrores, puerperis alias familiares, fuerit passa. Abhinc infans sub delirio fuit ablactatus, mamma autem dextra, externe quidem non inflammata, ne minimum rubens, sensim & tandem valde intumescens, dum ægra delira vix præberet doloris indicium, post vespertinas tamen refrigerationes & intermedios æstus, mense jam exacto, rupta plurimum puris bene cocti profudit, & diu stillavit.

Pro febre jamnunc ex hisce casibus duobus eruenda, laborandum in primis foret circa quæstionem, quid sit cum vel sine febre esse, quis dicatur febribitare, vel non? Quandoquidem vero illud ipsum colligi debet ex præsentia vel absentia phænomenorum illorum, quæ vel ipsa febrem constituunt, vel ita tamen consequuntur, ut pro pathognomonicis vel propriis agnoscantur communiter, hinc operæ pretium erit, signorum febrilium unum post alterum huc accersere & adplicare.

Primus in hoc censu traditur *Calor*, quem abesse prorsus & omni tempore febris vix patitur. Hunc maniacis nostris fuisse præternaturalem, quippe majorem justo & intensiorem, primum est quod hic prætendimus. Aderat enim non modo tactus testimonium, sed & sitis, vultus rubor, excandescentiæ respondebant multæ & magnæ, ut nec adstantes latuerit, quibus omnem turbarum noviter invalescentium vehementiam ad incrementa caloris referre solenne fuerat. Non est necesse implicari hic controversiis, quas olim scholis movit *Helmontius*, tam occasione caloris in genere, quam in specie intemperiei illius inæqualis, quam cerebrum æqualiter vestis instar induisse Ipsum male habet, quia condigno etymo id exprimere scholæ non potuerint. Nec locus hic est disquirendi, calor præter naturalis an sit specie novus, an nativus auctus, elementaris, coelestis, &c. qualibus prolixe occupatum legimus *Zacutum Lusitanum* passim in suis tomis. Illud potius hujus loci est, calorem, dum gradus habet, admittere magis & minus, item modos, a siccis

a siccī & humidi coniunctione in primis oriundos, & si quæ plures tactui percipiendæ sunt modificatio-nes. Sicuti ergo magis & minus non variat spe-ciem, ita apud maniacos, non minus quam vulgo febricitare dictos, differentia gradualis observatur, tum ratione individuorum, tum ratione temporum diversorum. Calor etiam ipse quidem plerumque siccior fuit, non tamen absque sudore omni, quo foemina maduit per principium, juvenis autem ra-rius, aliquando tamen.

Phænomenon alias perhibetur maniacorum, quod etiam nudi *frigoris* hyberni *patientes* sint absque noxa, quin calida tum deprehendatur cutis eorumdem. Evidem nostri, calidis conclusi hypocau-stis, frigori ita non exponebantur; Interim pro va-lido caloris majoris testimonio passim id adducitur. Sic *Bellinus* causam illius tolerantiæ refert, tam ad vim liberi caloris acriorem per corpus diffusam, quam ad vividissimas nervorum agitationes, qua-rum illa resistat impressioni frigoris, hæc etiam im-pediat, ne nervi tremant specie frigoris, quo sup-presso, & sensus nullus sit. *Helmontio* autem non sufficit dixisse, maniacus non sentit frigus, siquidem negatio scientiæ vel sensus nihil reale poniit, multo-que minus calefacit, vel frigori vires adimit, proin Ipse substituit radium mentis insensibilem diffusum, qui corpus amentis, dum ab anima sensitiva non pro requisito speciei nostræ gubernatur, velut ex com-miseratione, mortali frigoris importunitate eximat. Atat, an hæc vis conservandi corpus ita menti competat, dubium est; quin potius omnem vim

suam per influxum nervosum & arteriosum exercet, quem concitet necesse est, ubi vel calefacere, vel aliter moliri contra hostes quidquam voluerit.

Jungimus ergo calori requisitum febris aliud, *Pulsum*, qui cum priore alias pari passu procedit, hic etiam una increscit. Hujus frequentia & celeritas passim pathognomonicum febris signum agnoscitur, laborum cordis certus nuntius. Placuit pulsum in historiis vocare *concitatum*, ad designandum, apud ægros istos ipsum saepe in magnitudine, in frequentia communiter, naturali fuisse majorem, cum calore & symptomatibus reliquis intendi & remitti solitum; dum interim hic transeant, quæ alias de discrimine frequentiae & celeritatis, item de systole vel æquali aut velociore, quam sit diastole, &c. disputantur. Quodsi autem, uti calor, ita & pulsus maniacorum, & aliorum febricitantium, inter se comparari deberent, in genere per individua modo hunc, modo illum, majorem aut concitatiorem futurum verosimile est, in ægris autem specialiter dictis pulsum summo quidem febrium quarundam gradu minorem, aliarum vero pulsui vel æqualem, vel & majorem fuisse prætendimus.

Post calorem & pulsum in febribus adspici solet *urina*, quia saepe tingitur, & *rubrum*, hinc febrilem dictum, *colorem* induit. Quamvis autem quibusdam forte placuerit vetus illud dicterium *Quinti*, præceptoris *Galeni*, qualitates primas ad balneatores, & urinas ad pictores pertinere; Phænomena tamen hujus hic prætermitti vix ac ne vix quidem poterunt. *Bellinus* mox instantem maniam declarat urina
præ-

prærubra sine sedimento, cum contentis sublime potentibus, seu nube levi. In casibus præmissis urinæ proponuntur bene diversæ, quarum tamen utraque suo modo argumentum præbet. Illa *fæminæ* nulli non adspicienti febrilis utique fuisse visa, & admirationem proin sæpe movit, vulgari tertianariæ potuisse adeo esse similem, quoad quidem haberi & observari potuit. Quæ tinctura eo notabilior, quo per plures septimanas duravit, insuper, tempore licet autumnali, non turbata tamen, non, vel tarde admodum, & paucum, deposuit sedimentum, (quasi exhiberetur conspicienda in urinis tendentia sursum, quam natura in corpore affectat, vel deberet repræsentari crudus humorum status, & ineptitudo ad præcipitationem.) usque dum adpropinquans spes meliorum temporum ferret illud largius, & colorem ipsi vel tandem exueret.

Quod vero concernit urinam *Juvenis*, colore tandiū destitutam atque tenuem, illa quidem per totum morbum primo adspectu febrilis nunquam fuit, in recessu tamen habuit phænomenon, in sequentibus expendendum, quod febrilem typum arguit. Deinde, urina ita cruda, & tincturæ febrilis plus minus expers, interdum observatur per alias quoque febres; Sicut id ipsum non modo clare probat ex *Eph. Nat. Cur. Dec. II. Anni X.^{mi}* secunda statim observ. *Krugii*, de non mutato pulsu & urina in febre intermittente tertiana, verum etiam in primis in ipsa phrenitide urina talis triste signum est, ubi famosus ille raptus bilis ad caput occurrit, in Scholis quondam communiter prætensus, ab *Hel-*

montio autem exagitatus, ex duplice inprimis capite, partim bili substituendo scoriam liquidam, partim hanc ducendo non ad caput, sed ad sedem febris, pro augmento hujus & delirii, ab accessu illius excrementi. Quicquid sit, audiat sanguit biliosus, qui principio scatet inflammabili, corporis arcem petat, vel alibi fordes adfigat suas, interim urina ista decolor documento erit, tum principii illius biliosi in secretoriis non æque dimissi, tum sanguinis ab inferioribus magis aversi, quandoquidem tum temporis ipsæ pedum venæ, plerumque exiles & vix conspicuæ, simul fidem ejus faciebant.

Febrium porro sunt *Paroxysmi*, termino strictius sumto, ubi quidem res procedit ordinate & exquisite; Late enim ad omnem quoque exacerbationem quorumcunque fere malorum extenditur, quibus quid, & quantum, febrile subsit, vel secus, aliorsum spectat. Interim exacerbationibus per febres alternatim succedunt, si non intermissiones plenariæ, remissiones tamen, non caloris solum, verum etiam reliquorum symptomatum. In dictis casibus primi *motus fæminæ* videbantur ratione temporis quidem exquisite *tertianarii*, sequens postposuit in quartum, reliqui concesserunt intervalla sensim minus lucida, aut, si ordinatum quid subfuit, ab adstantibus non satis adcurate fuit observatum. *Juvenis* autem *paroxysmi* diu tam certi, tam manifesti fuerunt, ut ne quidem ex adstantibus plebejis ullum latuerint, *tertianis* prorsus analogi, quasi sanguis regulariter turgeret, iterumque subsideret, *diebus alternis*. Cui etiam urina respondit alternatim mutata, quan-

quantumvis a vulgari febris caractere aliena visa, ut supra fuit monitum.

Welschius in Dec. Cur. ex *Willisio* producit phænomenon circa urinas tertianarum, redarguens *Galenum*, quod urinam variam confuse recensuerit, nec bene distinxerit, cum tamen diebus febrilibus minus coloratæ, intermediis autem remissionum temporibus sedimento bolari copioso propemodum rufescant; Hoc in omnibus, tam continuis, quam quovis modo *τριταιογενεως* intermittentibus semet observasse prætendens. Hanc mutationem omnino observavit urina, de qua hic agitur, si vel maxime non tinctura rufa, nec sedimento bolari, certe tamen colore suo minus tenui, quem exhibebat die (sit, ob dicta & dicenda venia verbo) *απυρεξιασ*, postmodum vero aspectu suo tenui & aqueo, quem habebat die turbarum.

Autori laudato natura per otium a paroxysmis dicitur expellere, quod supereft a deflagratione partium sulphurearum; proin illud coctionis cuiuscunque, hoc cruditatis potioris signum fuit, respondens tono viscerum strictiori, sanguini averso, foribus detentis. Poterit ad latus urinæ talis poni *sanguis* pulcher & mundus, uti quidem hoc olim factum a Dn. Præsidis *B. Patre*, in Disputatione de *colori sanguinis e vena secta missi florido*. Unde & huc transferri posset, quomodo febrim non tollat, sed modificet. Erit interim sanguis talis vel causa, apta nata impetu fortius concepto mentis sedem acriter percellere, vel signum, sub inquietudine ista vividius pelli urgerique, quod per vasa circulatur, atque ita in qualitatibus suis exaltatur.

In differentiis morborum accidentalibus febris vulgo recensetur inter morbos *acutos*, ita tamen, ut non æque sit acuta in speciebus suis omnibus, quippe simpliciter in quibusdam, quin & extreme talis, in aliis minus acuta & longius protensa; Terminum enim vulgo sortiuntur suum acuti diem quadragesimum. Acutior utique phrenitis esse solet; Mania autem non nisi altero sensu modoque fuerit acuta. Longiores equidem interdum quoque dantur maniæ, in annos quæ perdurant; Sed dari etiam breviores, quid vetat? Manendo intra terminos nostros, juvenis sane circa quadragesimum, criticorum febrilium ultimum, mutari notabiliter, paroxysmos habere perobscuros, & sanæ menti proximus fieri coepit. Nec inquieta & furiosa fœminæ vehementia multum ultra quadragesimum se extendit, stupor enim tristis & tacitus per sesquimensem alterum prævaluit. Post diem vero vigesimum tertium sanatus jam dimitti poterat *Michelotti* maniacus *Comm. Litter. ad Rei Med. & Sci. Nat. Incr. Norib. inst.* anni superioris hebdomade quadragesima prima recensitus.

Ad maniæ brevitatem vel diuturnitatem illustrandam faciunt *raptus* extraordinarii, qui nonnunquam obveniunt, &, pro diversitate temperamenti in quod cadunt, & causæ quæ movet, variant, exemplo atrabilarii, forsitan a vino generoso excentrici, nec se capientis amplius, cum turgentia undique calida & inquieta, quæ tamen vel in cancellos brevi sponte redit, vel ope medica sedari non difficulter poterit. Etiam adtendi debent *tempora melancholicorum*

licorum & maniacorum diversa, quatenus nec omnes illi semper tristes sunt, nec hi semper furiosi, sed velut hi posteriores interdum quasi apyrexiam habent aliquam, sic & illi, dum in fermentum aguntur, excandescendo ad turbationem febrilem prætensam proprius accedunt.

Pro febre seorsim in historia fœminæ militat longus *mammæ tumor & abscessus* ejusdem tardus, qua quidem occasione huc non inepte referetur *aphorismorum* biga, tam 40. Sect. V. Quibus mulieribus in mammae sanguis colligitur, maniam significat. quam 47. Sect. II. Dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quam confecto. Prior spectat ad anorrhpiam sanguinis in genere, quia non a lochiis suppressis, a quacunque demum causa concitatam; posterior autem & istam mammæ suppurationem non sine febre fuisse, & utut præ delirio ab ægrotata minus animadversa fuerit, multum tamen in hoc casu momenti habuisse, demonstrat. Sive jam considerari velit tanquam productum aut residuum sanguinis congesti, aut lactis derelicti, sive ut depositum aliquid febrile, sicut abscessus alias referuntur ad crises imperfectas per metastasim factas. Interim pus hoc multum in profundo dum fieret, corpori febrem inferebat, quæ perfrigerationibus & æstuacionibus quoque tum se prodidit, sive quod excitari febrem opus sit, ad id, ut coctionem natura præstare possit, sive quod diffusæ in sanguinem particulæ purulentæ mixtionem ejus turbaverint. Exemplum autem infixæ spinæ, febrem crientis, an huc quadrat? quoniam archeus aversus, & circa phantasma suum occupatus, vix satis eam persensisse videtur.

Illustrari theses nostræ poterunt per analogiam morborum aliorum , pariter sine febre esse dictorum ; Nec non per analogiam causarum aliarum febris & delirii. Communis est de *Asthmate* opinio , quod sit expers febris. Atat hæc sententia jam olim suspecta fuit *C. Pisoni* , unde modos caloris , conditionem pulsus , ipsas etiam urinas febrilibus longe dissimiles , cum febre tamen conciliat , generalius tandem hoc subjungens : *Non possum non sæpe mirari eos , qui , nisi vehementes & ardentes admodum , febres nunquam agnoscunt ; quasi vero in febrium , ut in morborum reliquorum , genere differentia penes magnitudinem , & vulgata illa magis & minus , non reperiantur.*

Porro , a *Vino* & ab *Ira* corpus utique solet plus justo incalescere , & pulsus utrinque citatior fieri. Conferri posset id prolixius cum phænomenis maniæ & febris. Paucis autem : An ebrios , & iratos , febricitare dicemus ? Ira furor brevis audit ; Audiat per nos etiam febris brevis. Placuit hoc ad minimum *Scriptori eleganti* , qui characteres passionum nobis dedit , cui *la colere* (.scripsit enim ut omnes norunt gallice.) *est une sorte de fievre , & la fievre est comme une colere de la faculte vitale irritée.* Cujus & illam thesin obiter addere liceat : *Ainsi fievre pour les facheux accidens une maladie , pour les desseins de la nature un remede.* Quod prolixius diducere jam non vacat , ut ut late admodum pateat , & ad plura tam corporis quam animi pathemata adplicari possit , prouti vel ex sola patet *Imperatoris Antonini* non febrentis cognitione , quam in tabula operibus Galeni præfixa supremo stare loco voluerunt *Iunta veneti* , *Galenus* autem

autem l. d. *Præcogn. ad Posth. c. II.* & ex ipso *Zacut. Luf. Med. Princ. Hist. L. II.* prolixè recensuit; Atque *Vena in cubito pulsante*, quam *Hippocrates Epid. L. II. S. V.* & *Fr. Vallesius* comm. ad h. l. ac noster quondam *L. Fuchsius Instit. L. III. S. I. C. X.* maniæ & iracundia signum declararunt.

Ex his præmissis concludi posse videtur ad febris præsentiam in utraque maniæ historia. Hæc signa maniam nostram vix *απυρετον* esse sinunt. Nihilo minus sub deductione istorum subinde videbatur obstare unum & alterum, quibus pro posse resolutis evadet, uti spes est, thesis & clarior & certior. *Contra febrem ergo*, & pro absentia ejusdem, militant sequentia:

Primo, febris in genere quidem *intemperies* totius *calida* dici solet; Sed hæc definitio nondum est completa, quia passim, in primis apud *Fonstonum*, additur, quod & *actiones naturales*, majori vel minori symptomatum congerie, *lædat*. Atqui febricitantes in lectum dejiciuntur, appetitu privantur, ægrimo- niis & doloribus variis vexantur, dum maniaci in lecto teneri non possunt, vorant, rixas potius quam querelas movent. Transeat hic, quod moveri posset, an calor ut morbus *lædat* *actiones*, an ipse sit *symptoma qualitatis mutatæ*, ut effectus a causa pendens sua? Illud potius quæritur, sed non admittitur: An mania & febris sint incompatibles, quæ si- mul stare nequeant? quoniam illa corpus erigat, hæc dejiciat, appetitum communiter hæc imminuat aut aboleat, illa conservet, vel interdum augere videatur. Sunt, qui non modo per *morborum principia* quandoque revera febricitant, & se febrire tamen nesciunt, aut non curant, qualis ille apud *Ballonium*

adolescens capite dolens, absque ulla intermissione officii, sui negligens, modo ruri, modo in urbe fuit, & jam dum tamen *febre* detentus dicitur *typhode*, in phrenitidem obscuram abitura. Sed dantur etiam in *statu febrium*, qui vi caloris abrepti surgunt, edunt, pro sanis haberí volunt, robur insolitum ostendunt, scilicet varie deliri, quales prius absque metu deliquii vertiginosi ne quidem in lecto se potuissent erigere. Unde si calori maniaco etiam effectus, id est, actiones læsæ, attribui debere urgeantur, hunc ipsum titulum sustinere poterunt actiones animales, ipsius virtutatæ & depravatæ, quin &, si placet, ex vitalibus quædam auctæ.

Secundo, mania febre symptomatica caret apud *Jonstonum*, & sic a phrenitide distinguitur, quia *putredo* abest. Qui ex Recentioribus putredini fermentationem, aut mixturæ turbationem, substituunt, sine his maniam esse dicent. *Helmontius*, putredinis scholarum ex professo impugnator, maniam sordibus febrilibus carere, & in hoc a delirio, scilicet febrili, differre dicit, quo spectant loquendi formulæ. Ipsi usitatæ, suscitari absque spurciis, absque excrementorum infamia, absque materiali errore in hypochondrio; Ex quo capite maniacos etiam, præ deliris, actorum plerumque memores, longis aut statis periodorum recidivis obnoxios notat, cum traduce in posterum.

Prius argumentum fuerat *a posteriori*, ab absentia phænomenorum febrilium ad absentiam quoque febris directum. Hoc alterum jam *causale* est, negata causa prætendens effectum tollere. Hinc dispar est ratio. Absentia phænomenorum, tanquam notius, assumi

assumi potest; Est enim prætensa pars historiæ. Sed cum causa non ita comparatum est; Nisi enim ipsa probetur, erit elenchus petitionis principii, dum effectus controversus probari vult per causam æque controversam, & in dubium revocandam.

Si diceretur abesse inflammatio, excluderetur phrenitis, sed non omnis febris. Signa autem, quæ in scholis probant febrem esse putridam, in genere dicuntur invasio horrida, calor in augmento mordax, urina cruda vel obscure cocta, pulsus systoles velocioris, quam diastole, sudor, &c. Sordes item, vel turbulentiæ fermentales *Helmontii*, in sanguine per venæ sectionem emisso conspicuæ, veteribus erant signa putredinis. Horum quædam fuerunt jam prius examinata, quædam videntur in historiis omnino adfuisse nostris; provocare enim licet ad urinam & sanguinem foeminæ, ad utriusque ægri motus periodicos.

Gratis igitur deesse dicuntur sordes, aut humores, qui deberent putrefcere, & sordes ita suppeditare; Adeoque secus omnino se res habere videtur. Etenim non modo *Sydenham* duas maniæ species constituit, & de altera earundem conceptis verbis dicit, quod producatur a *sanguinis* debilitate, *vappiditate* ac *fermentatione* diutina; verum etiam hoc ipsum prædicatum, scil. habere sordes, putrefcere vel fermentescere, communiter *de bile* dicitur & *melancholia*, eorumque motu diebus vel paribus vel imparibus, tertio vel quarto, fieri solito. Atat, quid turbat mixtionem, quam cum acido sulphur? Hæc autem apud ægros istos arguunt *juventus*, *tinctura hæreditaria*, *autumnus*, *picrocholia*, &c. Sive jam

a sanguine talibus inquinato animam confundi maniace, sive per ideam ubicunque hærentem violenter agi sanguinem innocentem placeat, aut, sive archeus, vel spiritus, turbent humores, sive ab horum dyscrasia adficiantur spiritus. Priori casu sanguis instar fomitis se habere videtur, qui facilis ignem excipit; In altero causa putredinis sic præsto foret, universalis, bilis, ad diversos affectus varie determinanda. Claudant agmen periodi, quibus *Helmontius & Bellinus* moventur, ad focum in visceribus imi ventris fundandum, quicunque demum ibi formes concipiatur, & modus quicunque, pro deducendo per nervos, aut per sanguinem, aut ad corpus, aut ad caput, occasionali febrium aut deliriorum principio. Ipsa, quæ cum inflammatione membranarum cerebri est, phrenitis, aut quæ cum inflammatione viscerum inferiorum est, paraphrenitis, motus alternis diebus habere agnoscitur.

Hippocrates Epidem. L. VI S. VIII. ubi melancholicos plerumque fieri notat epilepticos, horum quidvis præcipue fieri addit, ubi in alterutrum infirmitas inclinaverit; Siquidem *in corpus*, epilepticos; Sin autem *in mentem*, melancholicos. Vapulat quidem eapropter *Helmontio*, qui quærerit, si atra bilis in corpus, aut animam, transcendens faciat caducum aut amentiam, *quorsum ergo perget, ut generet quartanam?* Unde non sola fede, sed & materia, & efficiente, affectus illos differre prætendit. Hanc litem modo non faciemus nostram, uti nec eam, an *το* converti ad animam, vel corpus, explicari debeat cum *Galen*o per *το* alterare temperamentum, vel obstruere meatus cerebri; aut cum *Bellino* per converti ad caput, vel subiectum

jectum corpus. Quid si quis tamen iræ sagittatoris helmontiani ad occasionem unius adversi potentiam daret liberam, aut mixtam, feriendi duos tresve scopos? Pro mania, interiora cerebri, ubi mens imaginationi vacat; Pro epilepsia, membranas ejus; Pro febre, cor & viscera? Et experientiæ conformiter urgeret, tam collimari posse ad plures, vel simul vel successive, feriendos, quam actiones rationales, animales & vitales, tam separatim, quam junctim, lædi possunt & solent. Certetumultus ipsi, per febres aut in febribus concitati, defævire solent modo magis in humorum massa, modo magis in systemate nervoso.

Porro non omnis febris vulgo deducitur a putredine. Non modo dudum id notavit *Borellus Libr. d. Mot. Anim. P. II. cap. ult.* Verum etiam prostant passim febres non putridæ dictæ, easque inter etiam *Synochus plurium dierum*, ubi absque putredine humorum accusatur calor in spiritibus accensus, fere uti, pro maniæ causa, sunt qui spiritus igneos & fervidos (.mirum tamen absque febri, absque intemperie calida.) prætendunt. *Helmontius* quidem ideas insanias, sigillares illas notas, quæ violenter abducunt animam sensitivam extra orbitam, docet imprimi vel sordibus, vel alimento aut parti solidæ nostri constitutivæ, illam impressionem febri, has maniæ attribuere visus. Verum enim vero si hoc nomen sordium recusat, necesse est agnoscat aliud æquivalentem, venenum, toxicon aliquod ipsi dictum alibi, quod confimiles habeat cum sordibus febrilibus facultates dotales, quæ intellectiōnem, invitū nobis, seducant in sui obsequia, exemplo solani & morsus rabidi. In genere igitur, si anima vel archeus, ut

ita moveat vel incandescat, causam habet occasio-
nalem, vocetur fermentum, venenum, aut prout
lubet, occulta qualitate agens, quomodo febris &
ejus causa abesse dici potest? Si enim exagitatio cor-
dis & sanguinis concitator febris non est, quid ergo
vel tandem erit?

Tertio, febris perhibetur maniae remedium; una ergo
alteram videtur tollere, ut non possint simul consi-
stere. In *Epidemiis Hippocratis Alcippus*, hæmorrhoides
habens, curari prohibebatur; curatus insanivit; fe-
bre acuta superveniente cessavit. Commentator
Vallesius: Mihi etiam, scribit, febris ardentissima, cum
annum ætatis vigesimum octavum agerem, passio-
nes melancholicas sustulit; crassis, ut putat, excre-
mentis simul, cum materia propria morbi acuti, in
hujus iudicatione radicitus evacuatis. Succedens
maniæ febris tertiana, vel quartana, salutaris dicitur a
Bellino, quia sanguis in illa fermentescit, quod ad ma-
niæ solutionem sit optimum, vel in hac ita crassescit,
ut obstruere possit, quod similiter bonum.

Non opus est, ut colligantur huc exempla *febris*
medicæ. Unum memorabile fuit quondam in urbe,
fœminæ scilicet, de qua fide mihi digna constat,
ipsam olim per graviditatis tempus melancholicam,
nec quidquam in aut a partu mutatam, ad breve
tempus resipuisse, cum superveniret, & quandiu du-
rabat, febris pueralis, infantem agnovisse & de-
amasce, prius facta deprecata; Sed cantilenam, ex-
tincta febre, pristinam deliram rediisse, imo convulsi-
vos motus successisse. E tantis tamen malis tum
eluctata diu supervixit sana.

His ita se habentibus nec nos modo refragabi-
mur,

mur, eventum in utraque historia, præ maniacorum aliorum fatis, forsitan vel ex hoc capite fuisse feliciorum, quia sine febre prorsus & in totum fuisse dici non possunt. Interim febrem dictam medicam esse, misceri, complicari posse cum alio morbo, ut eum non statim tollat, documentum utrinque præbere possunt *Spasmi*, ad quos consimilem alias rationem habet, vi aphorism. 26. Sect. II. & 57. Sect. IV. cum tamen sæpe diu & graviter phænomena per febres spasmodica prævaleant.

Quarto, qualis igitur vel quænam *febris* est in mania? Nulla species videtur huc quadrare. De hoc jam videndum. Communiter quidem utique delirium febrile, clare tale & manifestum, illud est, quod febri priori, per horas aut dies jam accensæ, & in vigore summo constitutæ, demum supervenit, scilicet in statu paroxysmi tertianarii, in statu phrenitis, seu febris acutæ, cui furor phreneticus accedit. Ita maniæ nostræ cum febre fuisse non videntur. Alias phrenitis perhibetur interdum post se relinquere maniam; Sed nec hoc proprie hujus loci est. Ut nec illud, maniæ sine febri existenti quacunque de causa supervenire febrem, sed ita, ut tollat; Nam prius mansisse visa fuit. Itaque si cui persuasum fuerit, febrem adfuisse poterit primo cum *Albino distributive* pronunciare: Maniam modo esse sine febre, modo cum febre. Posse sanguinem in motum concitatiorem impelli, sine mixturæ turbatione; Posse itidem mixturam turbari, & enormiter moveri; Aut maniam ratione propriæ essentiæ febre carere, licet nihil impediat, quin febris cum mania complicari possit. Huc, si placuerit, referatur febris, quam intimus

timus mammæ abscessus importavit, sive symptomatica velit dici, sive juncta per accidens.

Deinde, cum dictis & dicendis conciliari etiam poterit, si quis cum *Ballonio* in hyperemetra venarum capitis, quem cephalææ & maniæ tribuit, febrem agnoscat *fallacem*, minus apparentem, febrem *capitalem*, uti doctrinæ gratia dici posse prætendit, eaque occasione quærit: An satius sit, in unam tantum partem tempestatis febrilis vim redundare, an in totum corpus? ad vulgi quidem assertum provocans, se febrem tunc habere in capite.

Denique, si quis cum *Mortono* dixerit, maniæ febrem subesse posse *protoiformem*, sive hanc ampliando transtulerit a fluxibus, doloribus & spasmis, ad delirium maniacum, quod quidem ab *Ipsso* non factum, illud tamen nec contra mentem Illius, nec contraria veritatem faciet; *Multa enim arte*, laud. Autor inquit, *febres aliquando genium dissimulant suum*, quas tamen ex periodica symptomatum vehementium exacerbatione & remissione in primis solemus eruere, dum præ illis commun modo clarior emicare febris non potest. Qua occasione si quæratur: Quid igitur tenendum de *antidoto mortoniano* in curatione maniæ? Respondetur absque tergiversatione, illud in usum fuisse vocatum, utrinque cum talibus, quæ diversa circumstantiarum conditio postulare videbatur, plurimum tamen impedimenti stetisse ex parte ægrotorum, tum in genere ad medicamenta difficillimorum, tum requisitam quantitatem non admittentium.

Hic vero subsistamus, agentes Deo gratias, &
perpetim supplicantes pro mente sana
in corpore sano!

F I N I S.